

DISSERTATIO CHEMICA

DE

SULPHATE BARYTÆ.

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE GADOLIN,

*Chem. Prof. Reg. & Ord. Regg. Acadd. & Societt. Scient.
Holmenfis, Dublinensis, Upfalienfis & Gottingensis, nec
non Societ. antebac Med. Cbir. & Pharmac. Bruxel-
lenfis, Acad. Imper. Nat. Curios. & Reg. Societ.
Oecon. Fenn. Sodali.*

PRO LAUREA

publicæ censuræ modeſte ſubjicit

CAROLUS PLANTIN CAVANDER,

Bor. Fenn.

In Aedibus Scholæ Cathedr. die xxv Junii MDCCCV.

Horis p. m. conſuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

KONUNGENS

TRO - T JENARE ,

HÅRADS - HÖFDINGEN öfver ÅLANDS DOMSAGA

HÖGÅDLE

Herr OLOF ANDERS PLANTIN

OCH

HÅRADS - HÖFDINGSKAN

HÖGÅDLA FRU

RENATA THEOD. PLANTIN,

FÖDD CAVANDER.

MINE HULDASTE FÖRÅLDRAR !

*Åt den mindre lyfande, men må hända, mera nyttige
Medborgaren, som i medvetandet af uppfyllda plikter,
söker sin enda belöning, reses fällan Årefloden. Den
ådla tillfredsställelse som dygden innom sig åger, se där
dess oftaft enda, men såkra och ljusvaste lön! Men den*

fordrar icke heller någon annan vedergällning för sina
vålgärningar. Åt dem jag af ER, mine vördrade För-
åldrar, njutit åger åtminstone icke jag något annat
offer att lämna, än ett hjerta som utgjuter sig i tysta
vålsignelser. Emottagen desjä Blad, som den sonliga
vördnaden åt EDER helgar, mindre för att följa en
gammal plågsed, än för att åtminstone på något sätt,
offentligen få betyga den tacksamhet som till grafven
skall följa

EDER

Ödmjuklydigste son
CARL PLANTIN CAVANDER.

DISSE^TAT^O CHEMICA

DE

SULPHATE BARYTÆ.

§. I.

Ab antiquioribus Mineralogis interdum *spathi* vel *spatia*,^{a)} interdum *fluoris* nomine appellata sunt varia corpora fossilia crystallina, micantia, foliacea vel ex tenuibus laminis compacta, quæ aut per se in igne liquefcere, aut aliorum secum mixtorum lapidum liquefactionem juvare potuerunt. Inter haec nonnulla, pondere specifico ceteris superiora, cognomen *ponderosi* fortita sunt: aliis *marmora metallica* dicta, quod speciem marmoris vel lapidis calcarei habere, & naturam metallicam præ se ferre viderentur; aliis, quod acidum sulphuricum fovere cernerentur, *spatha selenitosa* nuncupata: in quorum genere globoſo non procul a Bononia reperto,

A

men-

a) Vocem hanc a Græca *spodos* originem duxisse probabile visum est G. MATHESIO (Sarepta, Nürnb. 1562. fol., X. Pred. f. CLIII), quia in pulverem redactus lapis specularis Annebergensis colore non differat a cineribus furnorum, quos spodon appellaverint metallicolæ. Alii a Germanica *spath* (ferus) derivandum esse vocabulum putaverunt, quod nimis fero ventum sit ad fodinas, ubi in sterilem substantiam, spathi nomine notam, conversa jam fuerit minera metallifera. (MACQUEW Wörterbuch v. LEONHARDI VI. Th. p. 177).

mentes scrutatorum ab initio seculi XVII:mi figebantur. Referente LEMERY *b*), futor quidam Italus VIMENZO CASCARIOLO (v. CASSIAROLO) ad radicem Montis Paterni detectis lapidibus nitore ac pondere specifico haud vulgari praeditis, in spem venit argentum inde eliquari posse. Hac vero spe sese frustratum vidit, cum eosdem in igne calcinaret: observavit autem, eos per istam operationem acquisivisse peculiarem facultatem in tenebris clare lucendi. Vulgata deinde miri phænomeni notitia alios movit ad varia experimenta cum lapidibus f. d. *Bononiensibus* instituenda *c*): nihilominus desiderari videbatur fida methodus eximium *phosphorum Bononiensem* producendi, usque dum communicatam secum HOMEERGII experientiam, suaque tentamina ingenue aperiret LEMERY *d*). Docuit hic, lapidem comminutum, atque ab immixta ferragine vel vitriolicis partibus follicite depuratum, deinde inter medios carbones ignitum, cavendo ubique ne ferrum attingeret, post refrigerationem radios luminis ita attrahere, ut postea in tenebris collocatus, ad modum prunarum ardentium luceret, quamvis frigidam adhuc servaret temperaturam. Indicavit quoque phænomenon hoc ortum suum habere ex fulphure, quod sub calicinatione in lapide progignatur, deindeque per luminis radios incitatum sua sponte lentissime ardeat. Similiter rem explicuit STAHL, qui parilem phosphorum etiam ex spathis gypfeis pellucidis eodem modo tractatis.

b) Cours de Chymie, Dresden. 1734, II. Th. p. 327.

c) MACQUER Wörterb. IV, Th. p. 562.

d) I. c. p. 320. 355.

tis provocari vidit e). Detexit denique MARGGRAF, quod meliore adhuc successu producantur phænomena phosphorica ex fossilibus spathosis ponderofis ad varia Germaniae loca repertis, utpote purioribus illis, quæ ex viciniis Boronire habebantur: similem quoque sed debiliorem effectum exhibere vidit gypsum soliaceum. Odor sulphuricus post perfectas calcinationes harum substantiarum patescens, certum ipse fuit indicium acidi sulphurici in singulis earum latentis. Distillatione cum octava parte pulveris carbonum facta, observavit ex iisdem extricari acidum sulphurosum, verumque sublimari sulphur. Invenit porro, spatum ponderosum cum alcali tartari vel nitro mixtum & una ignitum porrigit sulphatem potassæ. Via humida eundem obtinuit sulphatem cum pulverem spathi in solutione alcali tartari coqueret. Examinita vero mæssa phosphorica post usctionem pulveris spathosi carbonumque residua, vidit eam fere totam ab aqua solvi posse, nihilque ejus præter pauxillum terræ argillaceæ insolutum remansisse. Sic multiplici experientia de acido sulphurico in his lapidibus præsente perswasus, alteram eorum partem examini subjicit, eidemque naturam terræ absorbentis a calce vix diversæ adjudicavit f). Neque tum ulterius processit SAGE, qui vi ignis ex spatho ponderoso per carbones obtinuit sulphur, per fusionem vero cum alcali tartari sulphatem nactus est potassæ, terramque spathi itidem pro calce habuit g). Paullo post MONNET non acidum sulphuricum sed

A 2

ipsum

e) Fund. Chem. P. II. Tr. I. p. 57.

f) Chym. Schriften II. Th. p. 113-163.

g) Mem. de Chimie 1773, p. 14-32.

ipsum sulphur, in exemplo spathi a se examinato, terrae mūptum invenit, terram vero pro nova calcis specie habendam esse censuit ^{h)}.

Dum hæc apud exterios disquirebantur, accuratius exploratam & cognitam habuerunt Chemici Svecani naturam spathī ponderosi. Detecta enim ab immortali SCHEELE in mineris manganesii cineribusque vegetabilium nova terræ specie, acceptissima Chemiæ cultoribus propter eximium in analysi corporum perficienda usum ⁱ⁾, deprehendit mox inclitus J. G. GAHN eandem in spatho ponderoso latere, hujusque basin efficere ^{k)}; quopropter eidem, cum ipsa quoque ceteras terras pondere specifico superaret, nomen *terræ ponderosæ*, vel *barytæ* assignaverunt. Salem deinde ex hac terra & acido sulphurico compositum, qui parum a naturalibus spathis ponderosis purissimis abludere cernebatur, *terram ponderosam vitriolatam*, *barytem vitriolatum*, *baroseleniten*, & recentius *barytam sulphuratam*, *sulphuricam* vel *sulphateam*, vel nobiscum *sulphatæ barytæ* appellaverunt.

§. II.

Quas natura nobis offert, spathī ponderosi varietates differunt inter se colore, pelluciditate, pondere atque figura, neque ullibi a materiis heterogeneis immunes deprehensæ sunt.

^{h)} ROZIER Observ. 1775, Sept. CREL Beytr. III, B. p. 366 sqq.

ⁱ⁾ Kgl. Sv. Vet. Ac. Handl. 1774, p. 112-114.

^{k)} Teste ipso SCHEELE in K. Sv. V. A. H. 1775, p. 281, & BERGMANNO variis locis.

funt. Argillam, quam in omnibus a se examinatis invenerat MARGGRAF, semper sere esse sulphatis barytae naturalis ficiam, confirmaverunt recentiores. Celeberrimus JOH. AFZELIUS, facta analyſi & lapidis Bononiensis, & multarum baroselenitis Svecani specierum, in singulis notabilem argillæ copiam, prætereaque sulphatem calcareum, neque raro ferri oxidum & silicam immixta esse comperit *l*). Similem esse naturam spathi ad Rammelsberg reperti docuit WESTRUMB *m*). Quamvis autem argilla plerumque obſervata fit barytam comitari *n*), indivulfas tamen non esse has terras ostendit analysis spathi granosi Steyermarkensis, in quo KLAPOOTH nihil præter barytam, acidum fulphuricum & silicam detexit *o*). Nuperius vero in plerisque fosilibus baryticis patefacta est alia substantia, terra nonnullis, aliis alcali dicta & stronthianæ nomine nuncupata: sulphatem namque ejus in spatho ponderoso Freybergensi invenerunt KLAPOOTH *p*) & MEYER *q*). Eandem in plurimis, quas offendere & examini subjicere potuit spathis ponderosis immixtam esse testatus est LOWITZ *r*).

Sub

l) Diff. de Baroselenite in Svecia reperto, Upsaliæ 1788.

m) Bergbaukunde II. B. p. 37. Phys. Ch. Abhandl. IV. B., I. H. p. 135.

n) CRELL Ch. Annal. 1789. I. B. p. 272. Bergbauk. II. B. p. 23. WESTRUMB Ph. Ch. Abb. IV. B., I. H. p. 105. KLAPOOTH Kennin. d. Min. Körp. II. B. p. 80.

o) Kennin. d. Min. Körp. II. B. p. 70.

p) Ibid. p. 73.

q) CRELL Annal. 1794, II. B. p. 516.

r) Ibid. 1795, I. B. p. 109.

Sub forma globorum interdum in montibus, argillaceis-
ve collibus congestim dispersum invenitur, interdum venis
metallicis affixum, & nonnunquam æquabiliter per totam mo-
lem lapideam partitum, ut in monte graniteo Helvetico, u-
bi locum felspati illud occupare vidit HÖPFNER s).

Purissimum esse solet, quod maxime regulari structura
partium & pelluciditate conspicuum est, atque quod pondere
specifico 4,5:ies vel adhuc paullo magis superat aquam.

Formam crystallorum utcunque variabilem derivandam
esse judicavit ROMÉ DE L'ISLE ab octaëdro rectangulo sub
triangulis ifoscelibus comprehenso, quod, producta basi pyra-
midum communi, saepius figuram acquirat octaëdri prismati
f. cuneiformis. Si hoc secari singatur planis ad basin per-
pendicularibus, prodeunt prismata, qualia saepius exhibent
crystalli pellucidæ, lateribus rectangulis & basibus rhombicis,
quarum angulos 103 & 77 gradibus æquales esse censuit t).
Observavit vero HAÜY, hujusmodi prismata, quorum anguli
basium accuratius mensurati sint 101°,5 & 78°,5, efficere for-
mam primitivam crystallorum, simulque figuram exhibere mo-
lecularum integrantium hujus spathi u).

Comparet quoque interdum sulphas barytæ naturalis sub
forma pulveris, vel concreti solidi amorphi: interdum fractu-
ram ostendit radiatam, interdum fibrosum vel ex aciculis
con-

s) Ibid. 1788. I. B. p. 132.

t) Crystallographie T. I. p. 586.

u) FOURCROY Syst. d. Conn. Ch. T. III. p. 23.

contextum esse videtur. Per injurias aëris post longum tempus pelluciditatem atque coherentiam perdere existimantur crystalli maxime regulares.

§. III.

Per multam aquam pulverato baroseleniti adimi potest sulphas calcis immixtus: argillam quoque & partes metallicas ope acidorum extrahere licet; vix tamen his adminiculis omnimode purus obtinetur sulphas barytæ; qui longe facilius ex partibus suis constitutivis artificio parabitur.

Aqua solutam habens barytam ex addito acido sulphurico, nato folidescenteque sulphate, opacitatem contrahit: mox vero recuperat pelluciditatem, cum propter insigne pondus specificum, ad fundum vasis protinus decidat pulvis præcipitati granosus. Dejicitur pariter sulphas barytæ, si solutio aquosa barytæ aut puræ aut cum acidis conjunctæ instilletur liquori, qui acidum sulphuricum sive nudum sive aliis basibus nuptum tenet. Tanta enim ubique valet attractio inter barytam & acidum sulphuricum, ut hujus societatem illa præ omnibus alcalibus terrisve avide petere videatur *x)*, sulphu-

ri-

x) Autumaverunt Chemicorum haud pauci, quod cetera quoque acida barytam præ alcalibus fixis attrahant. Sed observaverat jam WITHERING effici præcipitationem barytæ ex nitrate & muriatæ per addita alcalia pura, atque per sodam vel potassam obtineri præcipitatum in acidis fere insolubile, ex baryta & alcali compostum. (Philosoph. Transact. 1784. P. II. p. 293 seqq.) Nuper quoque ostenderunt ANFRYX & DARCEY, quod & potassa & soda il-

ricum quoque acidum cetera omnia ex salibus baryticis excludat. In conspectum mox venit, quam primum in liquore aquo nascatur sulphas barytæ: hic enim inter omnes fere sales ægerrime ab aqua solvi potest. Inde est, quod dudum barytam pro exquisitissimo adminiculo habuerint, ad detegenda minima quæque acidi sulphurici vestigia in aquis soluta. Observavit BERGMAN aquam, quæ non nisi $\frac{1}{4}$ partem respectu sui ponderis, partem sulphatis sodæ, sive $\frac{1}{2}$ partem acidi sulphurici ligati solutam habet, strias albas ex separato pulvere insolubili monstrare, quamprimum ipsi adderetur una alterave gutta soluti muriatis barytici: immo ex pari cauſſa nubeculam albam post breve tempus in conspectum venire, si modo $\frac{1}{4} \text{ or } \frac{1}{5}$ partem acidi sulphurici contineat aqua y). Ex simili forsan observatione æstimavit KIRVAN unam sulphatis barytæ partem a 40000 z) aut 45000 a) aquæ partibus in temperatura caloris media fuscipi posse.

Cum vero difficulter adeo aquam subeat sulphas barytæ, minuscula quidem grana ejus crystallina sæpius oriri videntur, nullo vero artificio hucusque produci potuerunt crystalli tantæ magnitudinis, ut forma tuto determinaretur. Ad fidem primum est, eam non differre a figura spathi ponderosi naturalis.

§. IV.

Iam e societate acidi muriatici vel nitrici dejicere valeant. (Annal. de Chim. T. XLIX. p. 95.)

y) Opusc. Vol. I. p. 100.

z) Zerlegung der Mineral-Waffer.

a) Elem. of Mineralogy, II, Edit. Vol. I. p. 136.

§. IV.

In modico igne duas vel tres libras e centenario perdit sulphas barytae, abeunte aqua crystallisationis, quod cum strepitu fieri solet, si subito admotus fuerit ignis. In elevatiore ignis gradu liquefcere & in massam lacteam converti vindentur grana crystallina.

Ab acido sulphurico concentrato, juvante calorico, solvi sulphatem nostrum observavit WITHERING, eundemque per additam aquam dejici; in solutione vero, si lentissime attrahat humorem aeris, germinare pulcherrimas stellas aliasque radiatas figuras falsis crystallini b). SAGE unam sulphatis partem a 12 partibus acidi sulphurici perfecte solvi, cum septem vero vel octo hujus partibus mixtam, in massam gelatinae similem abire vidit c). Hanc facultatem acidi sulphurici animadverens HUME praesagiit crystallinum quoque obtineri quandam posse sulphatem barytae acidum d). Ab acidis fixis, phosphorico nempe & boracico, vi ignis e sulphate depellitur sulphuricum. Quod acidum nitricum partem barytae e societate acidi sulphurici eripere valeat, docuerunt CLEMENT & DESORMES, quibus inde explicata fuit caufa, cur acidum sulphuricum, sive nudum sive ligatum, vix omnem barytae, ab acido nitrico solutae, quantitatem, nisi uberrime additum dejiciat e).

B

Alia

b) Philos. Transact. 1784. P. II. p. 303.

c) Mem. de l'Acad. R. des Sc. de Paris 1788. p. 145.

d) VAN MONS Journ. de Chimie T. IV. p. 333.

e) Annal. de Chim. T. XLIII, p. 286.

Alia vero acida nihil fere in sulphatē barytæ efficere videntur, nisi quod hanc in aqua paullo solubiliorem reddant, quemadmodum ad plurimos sales vix solubiles ab aqua suscipiendos conferant.

Ab alcalibus vel terris puris, qua naturam suam non mutatur sulphas barytæ, licet cum nonnullis eorum in igne facile fluat. Per carbonates vero alcalinos, vi duplicitis attractionis, tam humida quam sicca via, disjunguntur ejus partes, producto carbonate barytæ, quem aqua solvere nequit f). Quod cum nitrate potassæ liquefactus similem subire posuit mutationem, afferuit quidem MARGGRAF g), recentiores autem non confirmarunt. Saltem sine successu hac via nitratem barytæ parare tentavit BOUILLON LAGRANGE h). Per muriam calcis, via sicca, duplicem quam dicunt, decompositionem ob

f) Cum accurasieretur barytæ cognitio, oblivioni traditum fuisse videtur, quod MARGGRAF jam utraque hac via perficerit separationem partium spathi ponderosi. WIEGLEB namque seu novam a se detectam commendavit methodum barytam parandi, liquefaciendo sulphatē barytæ cum alcali tartari (CRELL n. Entd. in d. Ch. XI. Th. p. 14). Eandem, Wieglebianam appellatam, fecutus est WESTRUMB (CRELL Annal. 1792. I B. p. 393. Phys. Ch. Abb. IV B. 1 St.). Idem valet de invento, KIRCHHOFIO tributo, quod abunde confirmaverunt KLAPOOTH (CRELL Annal. 1796. I B. p. 387; Kenntn. d. Min. Körp. II. B. p. 73), LOWITZ (v. CRELL Annal. 1797. I. B. p. 479), & BUCHHOLZ (SCHERER Allg. Journ. d. Ch. III. B. p. 371); scil. per coctionem cum carbonate potassæ in aqua soluto dirimi partes sulphatis barytæ constitutivas.

g) Chymische Schriften l. c.

h) Annal de Chimie T. XLVII. p. 145.

obtinere, primus observasse fertur DRIESSEN *i*), & BOUILLON LAGRANGE hanc methodum, scil. ex æqualibus sulphatis barytæ & muriatis calcis partibus colliquesactis, parandi muriatæ barytæ, ut omnium commodissimam laudavit *k*).

§. V.

Destruitur quoque compages sulphatis barytæ per carbones vegetabiles, accidente igne rubente, in quo ex acido sulphurico progignitur substantia volatilis sulphurea, quæ barytam cuicunque acido cedit. Hanc carbonum efficaciam tam in spathum ponderosum naturale, quam in salem, ex acido sulphurico & baryta, arte productum descriperat jam MARGRAF *l*). Nihilominus eadem latuisse videtur recentiores Chemicos, qui novam operam collocandam esse putaverunt in omnibus barytæ phænomenis investigandis. Etenim SCHÉELE *m*) & BERGMAN *n*) censuerunt, vix, nisi addito alcali fixo, quod una cum carbonum pulvere agat, mutari & in sulphur converti posse acidum spathi ponderosi. Observavit quidem MORVEAU hanc mutationem etiam per pulverem carbonum solum perfici; sed commemoravit terram ex sulphureto producto per acida separatam, difficillime ab omni sulphure liberari *o*). Deinde vero afferuit FUCHS exiguum tantum sulphat-

B 2

tis

i) Jen. Allg. Litt. Zeit. 1804, N. 158.

k) Annal. de Chim. T. XLVII. p. 131.

l) Chym. Schriften I. c.

m) K. Sv. V. A. H. 1774.

n) Opusc. Vol. III. p. 390.

o) CRELL Annal. 1786. II. B. p. 266.

tis barytae partem per carbonum pulverem solum destrui posse *p).* Sed plurimis aliis melius succesit negotium: inter quos TROMMSDORFF monuit vehementem fatis ignis gradum mox applicandum esse mixto, curamque adhibendam ne nimia carbonum pulveris copia sumatur, cum $\frac{3}{2}$ hujus partes sufficient ad liberandam suis vinculis omnem barytam in una sulphatis parte ligatam *q).* Idem affirmavit BOUILLON LATGRANGE, cui tamen haec methodus barytam secernendi, propter infestum odorem hydrogenii sulphurati simul producti, valde incommoda videbatur *r).* VAN MONS denique fvasit, ut pro obtainenda barya pura adhiberetur methodus jam a SCHEELE & BERGMANNO commendata, siquidem per carbonium reducantur, proptereaque melius separantur, oxida metallica in sulphate naturali occultata, simulque producatur nova acidi carbonici copia, qua plenius faturetur & ad operationem perficiendam aptius reddatur alcali *s).* Noxiā fore nimiam carbonum quantitatem, quia productō inde hydrogenio simul regeneretur acidum sulphuricum opinatus, proposuit per additum nitrum hoc incommodum cavere *t)*: Præterea vero ex eo capite utilem esse potassam pulveri carbonum additam, quod ad li-

p) Ibid. 1793. I. B. p. 146.

q) Journ. d. Pharm. B. VIII. St. II. & B. IX.

r) Annal. de Chim. T. XLVII. p. 135.

s) v. CRELL Annal. 1796. II. B. p. 613.

t) SCHERER Allg. Journ. d. Ch. IV. B. p. 311. Huic noxae fine dubio melius subvenire licebit, si minor adhibeatur carbonis quantitas. Optime nobis succesit haec operatio, cum æquales partes alcali tartari s. potassæ vulgaris, & tartari, s. tartritis potassæ, loco carbonatis potassæ cum carbonibus mixti, adhiberemus.

liquefaciendum sulphatem conducat, atque ita partes ejus mobiliores, quo citius carbonium offendant,¹⁾ reddat, animadvertisit BUCHOLZ *u)*, qui etiam observavit eundem usum praestare muriatem sodæ. Commixtis namque & liquefactis²⁾ & partibus sulphatis barytae cum una carbonum pulveris & duabus salis communis partibus, in aqua solubilem invenit massam ex sulphureto barytae & muriate sodæ nonmutato compositam *x)*.

§. VI.

Remoto acido sulphurico, aliarum substantiarum societate facilius privabitur baryta. In præcedentibus vidimus, quod per varia Chemicorum tentamina ex sulphate barytae obtenta fuerit baryta, aut cum acido carbonico, aut cum acido muratico, aut cum sulphure, vel sulphure hydrogenato conjuncta.

Carbonas barytae arte paratus partem quidem sui acidii per solam ignis vim amittit, quo facto ab aqua solvi & extrahi potest baryta pura, remanente adhuc intacta maxima carbonatis quantitate. Quod si vero saepius repetantur haec operationes, omni demum acido carbonico liberata habebitur baryta. Promtius fugatur omne acidum, si ante usctionem cum pulvere carbonum mixtus fuerit carbonas. Hanc experientiam a PELLETIER *y)* primo factam, confirmaverunt Chemicorum plurimi, eamque interpretati sunt ex peculiari inter carbonium & acidum.

u) v. CRELLE Annal. 1803.

x) n. Allg. Journ. d. Chemie I. B. p. 310.

y) v. CRELLE Chem. Annal. 1796. II. B. p. 302.

dum carbonicum attractione, qua generetur gas oxidi carbonici barytam facillime deferens. Alteram methodum barytam ex carbonate obtinendi detexit VAUQUELIN ^{z)}, qui, effecta per acidum nitricum solutione ejus, juvante igne satis valido, fugari atque destrui vedit hocce acidum. Nudata sic baryta facile ab aqua solvitur, & huic acrem atque alcalinum communicat saporem: refrigerata solutione calide facta, in formam crystallinam concrecit: in igne liquefit, & pluribus præterea characteribus, alcalibus propriis, dota esse videtur, quam obrem eam inter alcilia potius quam inter terras numerandam esse censuerunt hodiernorum Chemicorum haud pauci. A liis vero nondum omne dubium remotum eit, utrum baryta hæc revera pura sit, anne aliquid ex acido nitrico attraxerit, ex quo novas acquiliverit proprietates. Sed hac de re jam mittimus disquisitionem, utpote ab argumento opellæ nostræ alienam.

Ex muriate barytæ, vel sulphureto hydrogenato nulla laborat difficultate separatio barytæ, cum ex solutionibus eorum aquosis per carbonates alcalinos obtineatur carbonas barytæ, modis nuper allatis destruendus.

In proportione partium sulphatis barytæ determinanda, quam proxime omnes inter se consenserunt Chemici, judicantes crystallinum ejus pulverem arte paratum circiter duas tertias barytæ puræ atque unam acidi sulphurici partem fovere: in naturali autem spatho ponderoio unam acidi sulphurici partem cum quinque partibus barytæ conjunctam latere; atque aquam crystallisationis in utraque sulphatis varietate tres centefimas partes efficere.

^{z)} Annal. de Chim. T. XXI. p. 276. sqq.